

dam ad agendum, et non indiget virtute creata media, per quam ipse operetur id quod est sibi proprium in actione causæ secundæ. Declaratur exemplo adducto de potentia visiva, tam corporali quam spirituali: nam quia indigeo juvamine et determinatione objecti ad visionem, ideo quando objectum per seipsum non potest adesse potentia ad suum auxilium vel determinationem præstandam, id facit per motionem vel qualitatem mediam, quæ sit instrumentum ejus, ut est species impressa; quando vero objectum per se adest potentia, et totum illud munus per se præstare potest, non intervenit illa motio prævia per impressionem speciei, quæ sit veluti instrumentum, ut in visione beata, et aliis multis philosophamur. Eadem autem ratio et proportio in præsentia causa invenitur.

40. *Confirmatur ex sancto Thoma.* — Unde D. Thomas, quæst. 3 de Potent., art. 7, in corpore, in ultimo modo quem ponit, quo causa prima operatur in operatione causæ secundæ, tanquam principalis causa in cujus virtute causa operatur ad esse, manifeste declarat illam virtutem Dei, per quam virtus causæ secundæ suo effectui conjungitur, et in qua nititur in operando, non esse aliam a virtute increata ipsius Dei; dicit enim illam virtutem non distingui ab essentia et substantia ipsius Dei. Et inde colligit differentiam inter cælum et Deum, nam cælum operatur cum causa secunda per virtutem emissam, et a se distinctam, ubi non est. Deus autem ubique est, et virtus ejus idem est quod ipse: *Et ideo* (inquit) *potest dici quod Deus in qualibet re operatur, in quantum ejus virtute (utique idem est quod ipse) indiget ad agendum.* Ergo ad influxum per se et proprie effectivum, quem Deus exhibet causæ secundæ ad opus ejus, non indiget Deus illa virtute emissa creata et instrumentaria; ergo si illa est necessaria, oportet ut sit ex indigentia ipsius causæ secundæ, quæ per se est in potentia tantum passiva quoad complementum virtutis agendi. Quod si hanc indigentiam non habet, profecto concursus ille prævius non est necessarius propter efficientiam per se, cum etiam ex parte Dei necessarius non sit. Seclusa autem efficientia per se, nullam utilitatem, nedum necessitatem habere potest, ut supra probavi. Ergo vel fatendum est potentiam causæ secundæ esse per se insufficientem in actu primo, vel superfluum illud concursum prævium.

41. *Confirmatur secundo ratione.* — Accedit quod, etiam posito illo concursu prævio et ef-

ficientia ejus, necessarium est ut Deus immediate, per seipsum et per suam virtutem increatam, immediate influat in actionem creaturæ; ergo si quæ est efficientia in illo concursu, illa non se tenet ex parte Dei; ergo oportet ut vel sit ex parte causæ secundæ, et ad complendam insufficientiam virtutis ejus, vel impertinens sit. Antecedens supra probatum est, et auctores illi illud negare non audent. Posterior etiam consequentia nota est, cum sufficienti partium enumeratione, tum ex omnibus dictis. Prior autem consequentia probatur, quia nulla alia ratio suadet, imo nec permittit ut Deus duplici via (ut sic dicam) præbeat efficientiam ex parte sua necessariam ad actionem causæ secundæ. Cur enim per eandem suam virtutem increatam non præbebit totum suum influxum ad effectum causæ secundæ necessarium? Denique tota necessitas hujus concursus prævii ponitur ex parte causæ secundæ, quia quantumvis sit in sua natura perfecta, est in potentia, et debet prius reduci in actum, et quia non potest esse movens, nisi mota; ergo, consequenter loquendo, omnino fateri necesse est hunc concursum prævium requiri, ut complementum necessarium ex parte ipsius causæ secundæ; unde, cum non possit esse tantum ut conditio sine qua non, necessarium erit ut sit complementum virtutis per se activæ necessariae ex parte ipsius causæ secundæ. Qui ergo hoc concedere recusant, a propria sententia recedunt, et sibi contradicunt: qui autem illud admittunt, non possunt sufficientiam causarum secundarum tueri, et ita etiam suo se gladio jugulant. Nec rationem reddere possunt, cur Deus non potuerit causis dare integras virtutes activas, ex parte ipsarum necessarias, permanentes et per suas entitates; vel, si potuit, et dedit, ad quid sit nova virtus per se agendi necessaria. At si illa necessaria non est, nec sola nova conditio sine qua non esse poterit necessaria, ut ostendi.

42. *Inde concluditur via nonum et decimum dubium explicari consequenter posse.* — Difficillimum ergo mihi videtur in ea sententia ita expedire hæc duo dubia, nonum et decimum, ut consecutio doctrinæ in tota illa sententia teneatur, faciliusque (ut ego opinor) id fieret ponendo illum concursum tanquam conditionem puram sine qua non, ut in principio hujus controversiæ a multis illius partis defensoribus doceri audivi, et interdum expertus sum. Quia vero postea efficaciter ostensum est, talem conditionem sine efficacia per se, esse voluntarie assertam, neque explicari posse quid

sit, aut cur sit necessaria, ut paulo antea declaravi, ideo posteriores illius prævii concursus defensores in aliam sententiam de causalitate per se inclinarunt. Verumtamen, ne sufficientiam virtutum causarum secundarum, vel aliorum auxiliorum gratiæ negare videantur, coacti sunt simul dicere tale auxilium prævium esse principium per se actionis causæ secundæ, et ipsi causæ secundæ inhærens prius natura quam operetur, esseque necessarium ad actionem, et nihilominus non esse actum primum, nec complementum ejus, neque ad actum primum pertinere, sed potius ad actum secundum, ac denique illi concursui prævio attribuere ea quæ concursus simultanei propria sunt, quæ omnia, iudicio meo, difficultatem et obscuritatem doctrinæ, ne dicam etiam repugnantiam, ostendunt, et ex sequenti capite amplius difficultas patebit.

CAPUT XXXIV.

UTRUM CONCURSUS PRÆVIUS SIT SEPARABILIS A SIMULTANEO, SEU AB ACTIONE CAUSÆ SECUNDÆ, ET E CONVERSO.

1. *Quæstio an prævius sit re et duratione separabilis ab actione et effectu causæ secundæ. — Opinio negans.* — Quæstio hæc ex hypothesi procedit, sicut aliæ quas de hoc concursu tractavimus, et duo alia continet dubia. Primum, et in ordine undecimum sit, an concursus iste prævius sit in re ipsa et duratione separabilis ab actione et effectu causæ secundæ, vel, quod perinde est, a concursu simultaneo; quæ interrogatio non habet locum in illa sententia, si intelligatur ex natura rei tantum, seu de potentia ordinaria Dei. Omnes enim ejus assertores pro comperto habent non posse separari, quia talis concursus est auxilium natura sua efficax, id est, efficaciter faciens causam secundam operari, et propter alias rationes quas nunc subjiciam. Intelligitur ergo quæstio de potentia Dei absoluta. Et in hoc etiam sensu dicti auctores docent non posse tale auxilium dari in re sine effectu et actione causæ secundæ. Ita docet maxime de auxilio efficaci divinæ gratiæ Alvarez, disput. 83, cum aliis quæ ibi allegat: unde cum ibidem doceat eandem proportionem loquendum esse de illo auxilio efficaci, qua de generali concursu prævio, idem sine dubio de isto sentit, ut satis etiam expressit disput. 19, concl. 3, ration. 1; latius et expressius idem tradit Ledesma dicta quæst. unica, artic. 3 ad 7, et artic. 13 ad 6, et sæpe alias.

2. *Probatur ea opinio multiplici ratione.* — Qui auctores consequenter loquuntur; nam si aliquando vel semel posset concursus prævius separari a concomitante, posset manere in potentia ad agendum, et consequenter, juxta illorum principia, indigeret alia prævia motione, et posset postea de potentia in actum reduci, et sic haberet locum processus in infinitum, et alia argumenta supra facta. Ipsius autem separationis repugnantiam his rationibus suadent. Primo, quia impossibile est causam secundam actu moveri a Deo, et ipsam non actu operari, ex D. Thoma 1. 2, quæst. 112, art. 3, et 2. 2, quæst. 24, art. 11. Deus autem per concursum prævium movet causam secundam efficaciter ad operandum; ergo impossibile est non operari; ergo impossibile est non recipere simul tempore auxilium simultaneum. Secundo, quia ille concursus prævius semper datur ex voluntate efficaci Dei, quod causa secunda operetur; sed stante illa voluntate Dei, impossibile est non sequi effectum; nemo est enim qui voluntati ejus possit resistere, ut dicitur Esther cap. 3; ergo. Tertio, quia Deus est movens infinitæ virtutis; ergo si efficaciter movet causam secundam ut operetur, etiam infallibiliter illa movetur et operatur; sed Deus efficaciter movet per illum concursum prævium; ergo. Quarto, non potest Deus velle dare concursum simultaneum sine operatione causæ secundæ; ergo neque prævium. Probatur consequentia, quia uterque est verus concursus, ut ipsum nomen præ se fert, et concursus intelligi non potest sine alterius cursu.

3. *Alia opinio affirmans de potentia absoluta esse separabilem.* — Nihilominus aliqui etiam ex discipulis D. Thomæ, ut Ledesma supra refert, dixerunt de potentia absoluta posse præviam motionem imprimi a Deo causæ secundæ, et simul impediri ne sequatur actio ejusdem causæ secundæ; quæ quidem sententia, si ipsa per se consideretur, rationabiliter videtur habere minorem doctrinæ consecutionem, ac subinde ex utraque simul sumpta ostenditur concursum illum prævium, vel superfluum esse, vel multæ repugnantia involvere. Probatur ergo primo hæc sententia absolute sumpta; quia concursus prævius realiter distinguitur ab actione causæ secundæ, et a concursu simultaneo, ut supra ostensum est, et concursus prævius est prior natura, et independens ab actione causæ secundæ; in his enim quæ realiter distinguuntur, non implicat prius separari a posteriori a quo non pendet; ergo in præsentia non repu-

gnabit præviam motionem separari ab actione causæ secundæ, seu concursu simultaneo.

4. *Replica rejicitur.* — Respondet Ledesma negando minorem, quia sæpe res realiter distinctæ inseparabiles sunt, ut materia a forma, relatio a fundamento, totum a partibus simul sumptis, et actio vitalis a potentia vitali, et dicere a verbo. Hæc autem exempla et parum probabilia sunt, et in multis non sunt similia. Materia autem naturaliter separari potest a qualibet determinata forma, et præterea materia pendet in suo esse a forma, et sub ea ratione est natura posterior; hic autem concursus prævius est simpliciter prior, et nullo modo pendens ab actione creaturæ, præterquam quod longe probabilius est de absoluta potentia posse materiam sine ulla forma conservari. Relationem autem probabile non est realiter a fundamento distingui, utique tanquam rem a re, et si quo modo distinguitur in re ipsa, satis est quod fundamentum possit remanere sine relatione, licet non convertatur, quia fundamentum est prius relatione, et independens ab illa, non e converso. Nos autem, in argumento, solum sumpsimus prius posse manere sine posteriori, a quo et non pendet, et realiter distinguitur. Similiter impossibile profecto est exemplum de toto et partibus simul sumptis, cum eertissimum sit, et non distingui realiter, et a singulis essentialiter pendere. De actione autem vitali, nobis sufficit quod potentia vitalis potest manere sine actu, illa enim est prior, et independens ab actione sua. Ultra hoc etiam est probabilius entitatem ipsam actus vitalis posse conservari a Deo sine potentia vitali, etiamsi sub illo modo actionis vitalis non possit esse sine influxu vitalis potentiæ, quia sub ea ratione ab ea essentialiter pendet, quod non repugnat principio assumpto in discursu proposito. Denique, in ultimo exemplo, falsum est dicere et verbum distingui realiter, quia solum distinguuntur sicut actio et terminus. Non oportet ergo exemplis vel falsis vel dubiis uti, sed ratione; illud autem principium est per se maxime consentaneum rationi, nam sola identitas rei vel dependentia videntur posse obstare separationi unius ab alio; unde qui negaverit Deo potentiam conservandi, vel faciendi, seu separandi unam rem ab alia realiter distincta, a qua ex natura sua non pendet, oportet ut specialem aliam rationem repugnantiam ostendat, alias per se rem dicat incredibilem.

5. *Ratio universalis numeri 3 applicatur huic materiæ.* — Secundo, hoc specialiter os-

tenditur in præsentia materia, quia licet demus concursum prævium natura sua esse determinatum ad conjungendam causam secundam actioni suæ, influendo efficaciter in ipsam actionem, et ideo naturaliter non separari ab illa; nihilominus non potest illam actionem efficere sine novo concursu Dei concomitante, et in ipsa actione creaturæ imbibito; potest autem Deus dare concursum prævium, et negare concursum concomitantem; ergo hoc modo potest separare concursum prævium a concomitante, et consequenter ab actione causæ secundæ. In majori omnes convenimus, ut supra visum est. Minor autem probatur, quia illi duo concursus in re ipsa distincti sunt, si dantur, ut supra est probatum, et non minus libere Deus præbet concursum concomitantem, postquam dedit prævium, quam ipsum prævium; ergo licet hoc præstet, potest alterum pro sua libertate suspendere, et sic priorem a posteriori separare. Quis enim audeat dicere voluntatem Dei, eo ipso quod prævium concursum præbet, necessitari ut velit concomitantem dare? Perinde enim est ac si dicatur concursus prævium, non solum causam vel voluntatem creatam determinare ad agendum, seu volendum, sed etiam voluntatem divinam determinare ad coagendum illi, quod per se incredibile et valde contrarium rationi videtur. Dicitur voluntatem Dei non determinari a creato concursu prævio, sed, eo ipso quod ipsa se determinat ad dandum illum, necessario etiam determinari ad dandum subsequentem, seu simultaneum. At quæ ratio hujus necessariæ connexionis reddi potest? Nam prior voluntas dandi concursum prævium potest habere totum suum effectum sine alia voluntate dandi concursum concomitantem; ergo potest Deus pro sua libertate habere priorem voluntatem seu determinationem sine altera; alioquin eadem ratione dicere quis posset non posse Deum dare lumen gloriæ sine visione beata, vel unionem hypostaticam sine gratia, et similia, in quibus similis connexio voluntarie affirmari potest, si absque alia ratione licet divinæ voluntati similem necessitatem attribuere.

6. *Solvuntur alterius partis motiva numeri 2.* — Tertio, hæc pars suadetur solvendo motiva alterius partis, et supponendo illud principium, divinæ potestati et libertati non posse negari quidquid non ostenditur repugnare; nam rationes illæ nullam repugnantiam ostendunt, supponunt enim sine ratione et probatione id ex quo repugnantia posset

oriri. In prima enim ratione cum dicitur impossibile esse Deum movere causam secundam ad operandum, et illam non moveri et operari, hæc propositio, intellecta de concursu prævio, vera est quoad unam partem, et falsa quoad aliam, supposita distinctione reali inter concursum prævium et operationem creaturæ; movere enim actu et moveri sunt quasi correlativa, et ideo cum proportionem sumpta separari non possunt, quia nec in re sunt distincta, nisi tantum habitu, sicut calefacere et calefieri, et ideo non potest ignis actu calefacere, quin aliquid actu calefiat; sic ergo si Deus movet causam secundam influendo in illam concursum prævium, impossibile est illam non moveri seu mutari recipiendo illum. Quoad hanc ergo partem, verum est non posse Deum movere causam secundam, et illam non moveri; quoad alteram vero de operatione, male infertur, et sine connexionem; potest enim creatura actu moveri a Deo ad operandum, et nihilominus actu non operari, quia Deus cum illa etiam jam mota non vult ad operationem concurrere.

7. *Confirmatur.* — Unde oportet attente considerare non esse idem movere creaturam ad operationem, et formaliter facere illam operantem; quæ duo videntur sæpe confundi a dictis auctoribus, et tanquam idem reputari, et ideo sæpe æquivoce argumentari. Sunt ergo valde diversa; nam per concursum prævium non constituitur causa secunda formaliter operans: nam hoc habet formaliter ab operatione actuali, quæ est distincta a concursu prævio, et posterior illo. Est autem illa operatio quasi finis propter quem datur ille concursus, et quia ex tali concursu infallibiliter sequitur, naturaliter loquendo, ideo dicitur recte causa secunda moveri per illum concursum ad operationem, tanquam ad finem, seu terminum remotum, etiamsi ab illo possit per Dei potentiam separari. Ad argumentum ergo in forma respondetur, negando consequentiam, quia licet Deus moveat efficaciter ad operandum dando auxilium de se et natura sua efficaciter, potest causa secunda non operari ex defectu concursus concomitantis, quem Deus negare potest, licet illum priorem tribuat; et ita potest etiam facere, ut concursus per se efficax actu non faciat, quia non est ita de se efficax ut in actuali operatione a novo concursu simultaneo non pendeat. Testimonia autem divi Thomæ ibi allegata non sunt ad rem, ut statim dicam.

8. *Solvitur secundum argumentum primæ*

opinionis. — Ad secundum, cum dicitur concursum prævium procedere ex voluntate Dei absoluta et efficaci operationis creaturæ, id est verum de facto, vel ad summum secundum naturam talis auxilii, ac proinde de potentia ordinaria: si autem intelligatur de potentia absoluta, sine fundamento dicitur, et ideo facile negatur. Nam ille concursus prævius, prout ab illis ponitur, est effectus divinæ voluntatis distinctus ab operatione creaturæ. Nec enim necessarium est ut volitio talis concursus sit quasi electio medii propter operationem creaturæ tanquam propter finem efficaciter intentum; potest enim Deus, propter alias rationes providentiæ suæ, velle efficaciter illum concursum sine operatione, ad ostensionem potentiæ et liberæ voluntatis suæ, sicut posset velle lucem solis, et efficaciter, ejus in actu primo, etiamsi illuminationem ejus nollet.

9. *Solvitur tertium argumentum.* — Respondetur ad loca sancti Thomæ allata num. 2. — Ad tertium argumentum eadem fere est responsio; nam Deus quod absolute vult, sua infinita potentia efficaciter facit; potest autem velle efficaciter dare præviam motionem de se efficacem operationis causæ secundæ, et nihilominus non velle efficaciter, imo efficaciter nolle operationem causæ secundæ, quæ res distincta et distinctus effectus est. Unde potest retorqueri argumentum: nam infinita Dei potentia facit quod vult; sed potest velle illum concursum sine operatione ejus, sive causæ secundæ; ergo ita facit, et unum ab alio separabit. Et ex his etiam responsum est ad loca D. Thomæ ibi allegata, nam in illis locis solum dicit: Si ex intentione Dei moventis est ut homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequitur. Loquitur autem de intentione efficaci, et absoluta, et prædestinativa, ut paulo ante auctoritate Augustini explicaverat, et ita conditionalis est evidens; sed ad rem nihil facit, quia dicimus fieri posse ut Deus moveat per concursum prævium, et non ex intentione efficaci operationis ejus, seu causæ secundæ. Adde etiam D. Thomam ibi non loqui de concursu prævio, sed de motione cordis per gratiam excitantem, ut constat ex testimonio Joannis 6, quod adducit: *Omnis qui audit a Patre, et didicit, etc.*; audire enim et discere a Patre fit per internam inspirationem, et doctrinam, et per gratiam congruam vocationis, ut Augustinus sæpe exponit: illa autem fiunt per motiones gratiæ excitantis, et nihilominus etiam de illa motione verum est, si a Deo detur ex intentione conver-

tendi hominem, infallibiliter converti, quamvis possit talis motio dari, et non ex tali intentione, et tunc carere operatione. Sic ergo in præsentibus dicimus; hæc tantum observata differentia, quod motio gratiæ excitantis sæpe datur, et non ex intentione efficaci: concursus autem prævius nunquam sic datur, non potest tamen de absoluta potentia ita dari, ut explicui.

10. *Solvitur quartum argumentum num. 2 allatum.*—Ad quartum, de æquiparatione cum concursu simultaneo, negatur consequentia, quia concursus simultaneus non est res distincta ab actione creaturæ, nec est prior illa proprio ordine causalitatis, ut supra ostensum est, et ideo non est similis ratio: ponderatio autem nominis concursus parvi momenti est: nam facile dici posset illud auxilium prævium, si datur, non appellari proprie concursum, sed motionem, aut qualitatem quasi transeuntem; nam particula *con*, similitudinem quamdam plurium concurrentium indicat, quæ simultas non est necessaria ut illa motio prævia in rerum natura fiat et existat; denominatur autem concursus ex subsequenti operatione, in quam simul cum causa secunda influunt; et ideo potest de potentia absoluta manere sine tali determinatione quasi actuali; nam illa motio, posita in causa secunda non operante, non concurreret cum illa, atque ita non denominabitur concursus ab actu, posset tamen denominari concursus aptitudine et connexionione naturali, si Dei influentia non desit.

11. *Sententia affirmans, n. 3 relata, est probabilior, non tamen bene tuctur necessitatem hujus concursus.*—Hæc ergo sententia, supposita necessitate talis concursus, longe probabilior mihi videtur, per se ac simpliciter spectata; parum vero apta est ad defendendam sententiam de necessitate hujus prævii concursus, quam nunc explicamus. Nam ex illa sequitur entitatem hujus concursus, in ordine ad actionem causæ secundæ et ad suum influxum in illam, potentialem esse, id est, non esse essentialiter in actu secundo, sed posse esse in potentia ad agendum. Ex quo, ut dicebam, sequitur vel indigere prævia motione, ut exeat de potentia in actum, et sic proceditur in infinitum, vel alias facultates causarum naturalium posse reduci de potentia in actum sine prævia motione, cum solo simultaneo concursu. Responderi autem potest assignando discrimen, quia facultates intrinsecæ causarum secundarum naturaliter possunt separari ab actu, et manere in potentia; hæc vero præmotio, non nisi supernaturaliter et per miraculum, et hoc

satis esse ut illæ indigeant præmotione qua reducuntur de potentia in actum secundum, hæc vero illa non indigeat, sed per seipsam in actum reducatur, eo ipso quod Deus suum concursum simultaneum præbet: sed hoc revera non satisfacit; tum quia etiam causæ secundæ naturales, id est, non liberæ, non possunt naturaliter esse tantum in potentia, si supponantur omnia habere requisita ad agendum; tum etiam quia si semel intelligimus aliquid quod est in potentia ad agendum, posse reduci in actum, per hoc solum quod Deus præbeat concursum concomitantem, enervatur omnino fundamentum quo illa prævia motio necessaria reputatur, quæ ratio in sequentibus magis videbitur.

12. *Alteræ questio, an de potentia absoluta facere sine illo prævio concursu causa creata agat.*—*Communis sententia est non posse.*—Aliud, seu duodecimum dubium est, an de potentia absoluta possit Deus dare simultaneum concursum causæ secundæ, sine prævio influxu in causam, quod est quærere an sit tanta necessitas hujus concursus prævii, ut non possit Deus, de sua absoluta potentia, vel facere creaturam quæ sine illo operetur cum solo concursu simultaneo, vel nunc in causis jam creatis illum supplere, vel virtute increata, vel augendo concursum simultaneum, quod non invenio in dubium revocatum ab illius sententiæ defensoribus, non certe ob aliam causam, nisi quia pro comperto habent non posse fieri; nam si posset, fundamenta omnia illius sententiæ funditus everterentur. Si enim demus id posse fieri, supponamus factum: unde ergo probari poterit illum modum operandi esse miraculosum, vel non ita operari nunc omnes causas secundas? Nam si Deus posset virtute sua increata ita concurrere simul cum sole ut illuminet sine prævia motione, cur non diceretur ita nunc fieri, et illum modum concurrendi cum sole esse connaturaliter illi debitum? Ita, si potest causa creata in aliquo casu ita agere sine prævio concursu, ergo sine illo potest salvari essentialis dependentia in agendo causæ secundæ a prima. Atque ita ruit fundamentum illius sententiæ. Consequenter ergo in illa loquendo, necessario fatendum est illum modum concurrendi Dei cum causa secunda sine prævio concursu per solum simultaneum implicare contradictionem.

13. *Confutatur ea sententia.*—Hæc autem ipsa assertio non caret magna difficultate, suppositis aliis conditionibus illius concursus, quas per necessarias illationes sequi ostendi-

mus. Ostendimus enim esse entitatem creatam, et non esse tantum conditionem sine qua non ageret causa secunda, sed esse principium per se influens in actionem causæ secundæ, nec posse alio titulo esse necessariam, nisi propter hujusmodi influxum. Hinc ergo argumentamur. Non implicat contradictionem Deum per seipsum facere quidquid facit per entitatem creatam, si sola ratio efficientiæ spectetur. Ergo potest Deus supplere sua virtute totam efficientiam illius entitatis, seu motionis: supplendo autem efficientiam, supplet totam necessitatem ejus; ergo simpliciter potest sua virtute facere quidquid necessarium est, ut causa secunda operetur, supponendo tantum in causa secunda solam intrinsecam virtutem agendi in suo ordine. Atque hæc ratio urget maxime adversus eos qui dicunt istum prævium concursum per se non requiri, ut actuet quasi formaliter ipsam causam secundam, quia non est actus primus, nec complementum actus primi ex parte causæ secundæ, sed tantum virtus instrumentaria Dei. Nam hoc posito nulla probabilis ratio reddi potest, cur non possit per suam principalem et infinitam virtutem facere quidquid per illud instrumentum facit.

14. *Replica rejicitur.*—Dicent fortasse causam secundam applicari ad agendum per illum concursum, et non posse agere nisi applicatam, nec posse applicari nisi per aliquid inhærens; ideoque non posse Deum supplere hunc concursum, quia est necessarius non solum propter efficientiam, sed etiam propter id quod formaliter causæ secundæ præbet. At hoc non constat cum aliis dictis illius sententiæ, nam juxta hoc responsum, necessarius est hic concursus ut quidam formalis actus causæ secundæ; ergo ut actus primus, quia ponitur ab eis ut prior actu secundo, et nominatione causæ secundæ. Cum ergo alias negent concursum hunc requiri in ratione actus primi, non possunt consequenter dicere requiri propter suam causalitatem formalem. Deinde illa applicatio causæ secundæ ante actionem ipsam nulla est, quæ possit fieri formaliter per talem concursum, ut supra probavi; solum ergo applicat causam secundam ad actionem suam efficaciter ad eum modum quo dici potest gravitas applicare lapidem ad motum; ergo ex parte applicationis nihil est quod per formam inhærentem necessario agendum sit. Alioqui, etiam seclusa efficientia, per se posset ille concursus intelligi necessarius ut mera conditio sine qua non, quod

supra improbatum est, et ab illis etiam auctoribus non admittitur.

15. *Committitur petitio principii.*—Deinde quod de motione dicitur, quædam petitio principii est, nam causa secunda non præmovetur a prima, ut generaliter concurrente, nisi per hunc concursum prævium, ut ipsi dicunt; ergo causam secundam præmoveri a prima, nihil aliud est quam recipere ab illa hunc influxum, seu concursum; ergo dum dicitur ideo esse necessarium hunc concursum in illa recipi, quia necessarium est illam præmoveri, idem per idem declaratur, et assertio ipsa ratione aliis verbis redditur. Hoc est enim quod inquirimus, cur tam necessarium sit causam secundam præmoveri a prima, ut auxilium illud ad operandum, quod media illa præmotione recipit, non possit ab ipso Deo immediate recipere, maxime quando in causa secunda supponitur propria virtus activa talis effectus in suo genere sufficiens, ut prædicti auctores, et omnes recte sentientes admittunt. Hæc ergo sunt, quæ hujus sententiæ difficultatem generatim ostendunt, et ad illius sensum explicandum nobis visa sunt necessaria.

CAPUT XXXV.

PROPONITUR ALTERA SENTENTIA, QUÆ DOCET GENERALEM CONCURSUM DEI ESSE INFLUXUM IN EFFECTUM, ET IMBITUM IN ACTIONE CAUSÆ SECUNDÆ; INFLUXUM AUTEM IN CAUSAM PER SE ET EX VI GENERALIS CONCURSUS NECESSARIUM NON ESSE.

1. *Proponitur hæc sententia, et explicatur.*—Quæ hactenus tractavimus ostendunt quidem quam sit obscura et intellectu difficilis sententia postulans hujusmodi concursum prævium, seu influxum in causam; et quia necessitas ejus nullo sufficienti medio suaderi videtur, ideo communiter Theologorum opinio judicavit talem influxum in causam ex vi generalis dependentiæ causæ secundæ a prima in agendo non esse necessarium. Attente autem consideranda sunt illa verba, et præ oculis habenda *ex vi generalis dependentiæ*, quia non negant Theologi, imo pro certo supponunt Deum influere variis modis in ipsas causas secundas, ut agere possint, præsertim quando ex se non habent virtutem propriam sufficientem ad aliquem effectum: at vero quando causa supponitur habens vires intrinsecas sufficientes in genere causæ proximæ, tunc